



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Die S. Ioannis Evang.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

vult Stephanus, audi orantem, imitatur Christum, secuti alii.

In terra Pax homini bonæ voluntatis. Vis Stephane quod Deus vult; vult ipse quod vis, te salvare. Libertatem habebis, effereris supra minas, calcabis mortem ipsam. Appetitus erit tranquillissimus, faciesque Angelica vultum animi sereni testabitur. Affluet tibi abundantia bonorum omnium, cum vita æterna: *Finis enim hujus civitatis Jerusalem apud Aug. 19. de Civ. cap. 11. vel pax in vita aterna, vel vita aterna in pace dicendus est.* Ad eandem coronam cum Stephano enitamur, iisdem gradibus voluntatis.

DIE S. JOANNIS.

THEMA idem.

Apud homines magni fit iste titulus Homo boni iudicii, sensus, ingenii, conversationis &c. Quid autem ista sine bona voluntate? Facit voluntas bonum: intellectus doctum. Amisit diabolus bonam voluntatem, non bonum intellectum, & tamen diabolus est, &c. Exemplum bonæ voluntatis in D. Joanne. D. Virgo mater Christi & Joannis. AVE.

Ingressus fit ex D. Thoma p. 1. q. 20. a. 1. *Virum amor sit in Deo: tum a. 2. Virum omnia amet; & quomodò aliter quàm nos: denique ex a. 4. in corpore, quid sit Deo magis diligere, scilicet majus bonum velle. Unde colligo clarè,*
cum

cùm Deus singulariter Sanctum Joannem dilexerit, plurima ipsi bona contulisse. Prærogativas Joannis congeres huc, si placuerit. Ego contentus essem duabus: Virginitate corporis eximia, ita ut ne D. Virginem quidem umquam dicatur fixè intuitus: Virginitate animi, ut putetur numquam mortaliter peccasse, discipulus ille non moritur, & quod de D. Matre Ambrosius, *Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente.* Nec mirum cùm Caritas tanta esset in ejus corde, quæ eum faciebat hominem perfectissimæ voluntatis. Vide ejus epistolas Canonicas. Audi perpetuum de Caritate monitum cùm esset Senex. Attende quid fecerit pro adolescente sicario. Tam bona voluntas sine pace esse non poterat: hinc illa animi compositio, vultus æquabilis, libertas à passionibus &c.

DIE SANCTORUM INNOCENTIUM.

THEMA idem.

Apud S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. dixerunt aliqui Innocentes Martyres fuisse homines bonæ voluntatis activæ. Fuisse eis acceleratum usum rationis &c. Sed certum est fuisse tantum Bonæ Voluntatis passivæ. AVE.

In tragœdia hodierna actores duo sunt præcipui: occultus unus, alter apertus. Hic est Herodes Ascalonita, qualis vir? Alter, est Deus, sine quo Herodes nil agere potuit, &c. & à quo ad bonum directa mala. Illius Injustam
crudeli-